manuscript

Seite 16r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8293
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



quam me hinc pastores increpat per prophetam dicens. Quod
fractum est non obligastis et quod obiectum est non reduxistis
Abiectus enim reducitur. cum quisque in culpa lapsus ad statum
iusticie ex pastoralis sollicitudinis vigore reuocatur. Fracturam
vero ligamen astringit. cum culpam disciplina deprimit.
ne plaga usque ad interitum defluat. Si hanc districtionis
seueritas non coartat. Sed sepe deterius fingitur. cum
fractura incaute colligatur. ita ut grauius scissuram sen
ciat. si hanc immoderatius ligamenta constringat. Vnde
necesse est. vt cum peccati volnus in subditis corrigendo restringitur.
magna se sollicitudine etiam districtio ipsa moderetur. quatenus
sic iura discipline contra delinquentes exerceat. vt pie
tatis viscera non amittat. Curandum quippe est. vt
rectore subditus. et matrem pietas. et patrem exhibeat disci
plina. Atque inter hoc sollicita circumspectione prouidendum
est. ne aut districtio rigida. aut pietas sit remissa. Nam
sicut in libris iam moralibus diximus. disciplina uel misericordia
multum destituitur. si vna sine altera teneatur. Si ergo
subditos suos in esse rectoribus debet. et iuste consulens mi
sericordia et pie seuiens disciplina. Hinc namque est quod do
cente veritate per samaritani studium semiuiuus in stabulum
ducitur. et vinum atque oleum volueribus eius adhibetur. Vt
per vinum scilicet mordeantur volnera. per oleum foueantur. Necesse
quippe est. ut quisquis sanandis volneribus preest. in vino mor
sum doloris adhibeat. in oleo molliciem pietatis. quatenus per vinum
mundentur. putrida. per oleum foueantur sananda. Miscenda
ergo est lenitas cum seueritate faciendum quoddam ex utroque
temperamentum. Vt neque multa asperitate exulcerentur subditi. neque
nimia benignitate soluuntur. Quod iuxta vocem pauli. bene illa
tabernaculi archa significat in qua cum tabulis virga simul et manna
est. quia cum scripture sacre scientiam boni rectoris peccatoris. sicut est
virga districtionis. Sic et manna dulcedinis. Hinc dauid ait.
Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virga etenim
percutimur baculo sustentamur. Si est ergo districtio virge
que feriat. Sic et sustentatio baculi que sustentat. Sit itaque
amor. Sed non emolliens. Sit rigor. Sed non exasperans.

seuiens

16